



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

**Luxemburgi, MDCCXLII.**

III. Decretum, quod Procurator Generalis, seu Zelosus totius Ordinis  
Minimorum interveniat in Comitibus Generalibus, ubique locorum, & in illis  
suffragium ferat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

foliis, necnon primo dictæ Militiæ; seu primo dicti Ordinis Militaris, ac quarumcumque illius Domorum, seu Conventuum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, concessionis, indulti, infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem attentare præsumperit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1670. sexto non. Martii, Pontificatus Nostri Anno Primo.

II.

Indulgentia plenaria perpetua in Ecclesiis Fratrum, & Monialium Beatiss. Virginis Mariæ de Monte Carmelo pro festo S. Mariæ Magdalene de Pazzis.

CLEMENS PAPA X.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

**A**gni immaculati qui sacras Virgines spon-  
sas suas spiritualium charismatum donis multipliciter decoratas aeterno sibi consortio in cælis sociavit, vices, licet immeriti gerentes in terris, cælestes Ecclesiæ thesauros, quorum dispensationem Nobis credidit Deus, libenter erogamus, ut fidelium erga easdem Beatas Virgines devotio, ejusmodi muneribus incitata, multipliciter in dies, benedicente Domino, proficiat incrementis.

Sanctifica-  
tio Mariæ  
Magdalene  
de Pazzis à  
Clemente  
Prædeces-  
sore.

§. 1. Itaque gloriosa Beata Mariæ Magdalene de Pazzis Monialis Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, quam fel. rec. Clemens Papa IX. ad honorem Sanctissimæ, & individue Trinitatis, ad exaltationem Catholicæ fidei, & Christianæ Religionis incrementum, solemniter Sanctam esse auctoritate Apostolica decrevit, & definivit, ac Sanctarum Catalogo adscripsit, merita intra mentis nostræ arcana devota consideratione recolentes, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christianis fidelibus verè peccantibus, & confessis, ac sacra communione, refectis, qui aliquam ex Ecclesiis tam Fratrum (etiam Discalceatorum nuncupatorum) quam Monialium dicti Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo hætenus erectis, & in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus die festo ejusdem S. Mariæ Magdalene de Pazzis, nempe 25. Maji a primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi, annis singulis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione piæ ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Perpetuis  
futuris tem-  
poribus.

§. 2. Volumus autem, ut ipsarum præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Augusti 1670. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Decretum, quod Procurator Generalis, seu Zelosus totius Ordinis Minimorum interveniat in Comitibus Generalibus, ubique locorum, & in illis suffragium ferat.

III.

CLEMENS PAPA X.

*Ad futuram rei memoriam.*

**E**Xponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Petrus de Consentia Procurator Generalis, seu Zelosus Ordinis Fratrum S. Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum, quod in eodem Ordine singulis sexenniis Capitulum Generale plenissimum, pro eligendis Correctore Generali, ejusque Collegis, necnon Procuratore Generali Ordinis hujusmodi, quem vocant Zelosum celebrari solet: hujusmodi autem Procurator Generalis, sive Zelosus, ex præscripto specialis cujusdam regularis statuti, Generalibus Comitibus intervenire debet ad suffragandum in iis tamquam unus ex Capitularibus, dummodo tamen eadem Comitibus in Alma Urbe, vel in circuitu celebrari contingat, prout in Correctorio dicti Ordinis cap. 10. num. 93. contineri dicitur.

Quomodo  
in desuetudi-  
nem abiit.

§. 1. Porro in primordiis ejusdem Ordinis, quando dictum Correctorium acceptatum fuit, sapius Generalia Comitibus Romæ celebrari consueverunt, ex libera designatione fieri solita in singulis Capitulis Generalibus, in quibus ex præscripto ejusdem Correctorii, locus proximè celebrandi Capituli Generalis assignari debet.

§. 2. Verum progressu temporis mos inolevit, quo in singulis Comitibus Generalibus alternatim assignari solet locus futuri Capituli Generalis, semel nimirum in Italia; & tunc in Civitate Januensi, semel in Gallia, & tunc in Conventu Massiliensi, & semel in Hispania, & tunc in Conventu Barchinonensi, ex quo fit, ut Procurator Generalis suo semper voto frustraretur, cum nunquam in Urbe, ex introducta jam consuetudine Capituli Generalis celebratio præscribi, & assignari soleat.

Necessitas  
interessentia  
Zelosi.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio sub-  
jungebat, plurimum referat Procuratorem Generalem Capitulis Generalibus dicti Ordinis interesse, ad dandam inibi informationem eorum, quæ in Romana Curia in sexennio sui officii erga Ordinem hujusmodi facta, & disposita sunt, eaque ad universalem Ordinis notitiam, & actibus Capitularibus, inserenda, nec tamen à tempore, quo Capitula Generalia hujusmodi extra Urbem prædictam celebrata sunt, Procuratores Generales, sive Zelosi ad illa accedere consueverint, quippe voti, sive suffragii in illis ferendi prærogativa destituti, quod profectò inconveniens videtur, cum dictis Capitulis Generalibus intersint Collegæ Generales, quorum successores ibidem, quemadmodum, & successor Procuratoris Generalis eligi solent, & plerumque aliorum Ordinum Procuratores Generales illorum Capitulis Generalibus interesse consueverint.

§. 4. Nobis propterea d. Petrus Procurator Generalis, seu Zelosus humiliter supplicari fecit, ut sibi, suisque in officio successoribus opportunè in præmissis providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

§. 5. Nos igitur ipsum Petrum specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censu-

ris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendam, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium Præpositorum, qui dilectum filium Nostrum Flavium tit. Sanctæ Mariæ de Populo ejusdem S. R. E. Cardinalem Chisium nuncupatum, dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectorem audiverunt, consilio, ut in posterum prædictus Petrus ejusque successores Procuratores Generales, quos vocant Zelofos prædicti Ordinis Fratrum Minorum, quibuscumque Capitulis Generalibus ejusdem Ordinis ubicumque celebrentur, respectivè interveniant, & in illis suffragium ad instar aliorum Capitularium ferant auctoritate Apostolica tenore præsentium, concedimus, & indulgemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium.

§. 6. Decernentes easdem præsentis Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his, à quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio  
Constitutio-  
num in con-  
trarium.

§. 7. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Augusti 1670. Pontificatus nostri anno primo.

IV.

Decretum pro Congregatione Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ, quomodo possint egredi à suis Monasteriis.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

UT in Congregatione Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ fervor orationis conservetur, nec per inconsultas Eremitarum vagationes tepescat, sed ipsi Eremitæ juxta laudabile eorum Institutum, ac Constitutiones à felicitis recordationis Clemente Papa IX. Prædecessore nostro specificè confirmatas in suis Eremitis permanentes, divinis obsequiis eo studiosius incumbant, quominus eorum spiritus rerum temporalium tractatione, Laicorumque conversatione distractus fuerit, ex commissi Nobis cœlitus pastoralis officii debito providere cupientes.

§. 1. Motu proprio ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostri, deque Apostolica

potestatis plenitudine harum serie præcipimus, & mandamus, ut postquam à Capitulo Generali, vel Majore, & Visitatoribus dictæ Congregationis familiarum in singulis Eremitis ipsius Congregationis assignatio facta, & illi, qui toto anni decursa cum debitis Priorum localium licentiis propter urgentem aliquam necessitatem Eremitis per spatium quinquaginta milliarium juxta præscriptum dictarum Constitutionum egredi possunt, deputati fuerint, nec ullis Prioribus localibus, nec ullis deputatis ad negotia, sine licentia Majoris, & Visitatorum prædictorum semel in anno obtinenda, intra spatium quinquaginta milliarium hujusmodi, neque ullis dictorum Priorum subditis sine speciali eorundem Majoris, & Visitatorum licentia, toties quoties impetranda, Eremitis egredi, ac extrà illas pernoctare de cætero ullo modo liceat.

§. 2. Volentes, ut Major, & Visitatores prædicti serio invigilent, super quo eorum conscientiam oneramus, ne dicti Piores locales licentia hujusmodi abutentes, Eremitis sine necessitate egrediantur, vel prædictos Deputatos ad negotia egredi permittant.

§. 3. Quod si aliquos hac in re minus observantes repererint, licentiam egrediendi eis concessam suspendant, aut etiam omninò adimant, & alios ad negotia prædicta deputent.

§. 4. Porrò ad eas res curandas, quæ per oblatos non Professos expediri possint, quales sunt, exempli gratia, provisiones rerum Eremitis necessariarum, nec mittantur Deputati, ad negotia, nec ipsi Piores locales egrediantur.

§. 5. Iphis autem Prioribus localibus ex aliqua urgenti necessitate extrà Eremitas existentibus, eorum Vicarii sive Superiores in Eremitis remanentes, nullam habeant facultatem concedendi aliis, quam oblatis prædictis licentiam egrediendi, & pernoctandi.

§. 6. Præmissa verò omnia, & singula sub pœnis per Constitutiones prædictas contra illos, qui sine debita licentia Eremitis egrediuntur, & extrà illas pernoctant, constitutis inviolabiliter, & inconcussè perpetuò observari volumus.

§. 7. Decernentes ipsas præsentis litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostre, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, impugnari, infringi, retractari, seu in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci posse, sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Congregationis, illiusque Eremitarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis.

§. 9. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Licentiam  
admitti tran-  
grediens.

Quibus de-  
tur licentia.

Derogatio  
contrario-  
rum.